

autem aquam baptismatis et oleum unctionis; praeterea ipsum qui baptismum accepit: *Ex quibus scriptis?* nonne a tacita secretaque Traditione? ipsam porro olei unctionem quis sermo scripto proditus docuit? jam ter immersi hominem, unde ex Scriptura habemus? nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt?

AUGUSTINUS demum ep. 118. ad Januar. scribit: *Quae non scripta sed traxa custodimus...* Sicut quod Domini Passio et Resurrectio et Ascensio in cælum et adventus de cælo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur; et si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunent sabbato, alii vero non: alii quotidie communiant corpori et sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi tantum Dominico: et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes, etc.

Objectiones contra hanc partem sicut contra singularia dogmata pugnant, sic propriis singulæ locis habentur.

73. *Observe.* Traditiones sacras depositas esse apud Ecclesiam, ostendunt sacrae litteræ 1. ad Tim. 6. v. 20. *O Timothee depositum custodi;* 2. adeumd. c. 1. v. 13. et 14. *Formam habe sanorum verborum, que a me audisti... bonum depositum custodi.* Et ibid. 2. v. 2. *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere: confirmant Patres, maxime Irenæus L. 3. c. 3. scribens: Non oportet adhuc apud alios querere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, que sunt veritatis; ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ... Quid enim? et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesiæ, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti questione sumere, quod certum et re liquidum est? Et Tertull. L. de Præscrip. c. 21. *Quid autem prædicaverint Apostoli, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesiæ, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea:**

Comprobant denique Ratio; quia supposito, quod parte prima diximus, nullam post Apostolos revelationem novam fieri Ecclesiæ, debuit ab Apostolis apud Ecclesiam deponi doctrina omnis, que ipsi usque ad seculi consummationem necessaria erat; tum ut ex ea fidem moresque formaret fidelium, tum ut ex ea damnaret errores, quibus fidei morumque puritatem corrumpere studerent hæretici. Si autem omnis illa doctrina apud Ecclesiam deposita fuit, sequitur etiam depositas fuisse traditiones divinas, verbo Dei scripto non expressas, cum sine his memorati fines obtineri nequeant.

Adminicula porro traditionem depositam conservandi, præter singularem divinæ providentiae curam, præcipua sunt imprimis Conciliorum canones, Patrum scripta, Historiarum libri, quibus traditiones primum orentur prolatæ nec sacris litteris comprehensæ, postmodum vel ad fideles docendos, vel ad hæreticos refellendos, vel ad fidem illustrandam consignatae fuerunt: tum monumenta sive stabilia et permanentia, ut sunt tempa, altaria, sacri fontes,

cruces, imagines, libri Ecclesiastici, et similia; sive transeuntia quidem sua in actione, sed tamen continuata per usum, observantiam et mores, qualia sunt ritus Sacramentorum, celebratio festorum, jejuniorum observatio, oblationis missarum diversarum, supplicationes, orationes etc.: demum successio continuata Episcoporum, et frequens hæresum sive nativitas sive resuscitatio; quorum illi doctrina sua sana, hæ autem perversa et damnata non sinunt traditiones antiquas oblitterari.

ARTICULUS III.

Quænam sint Regulæ dignoscendi et usurpandi Traditiones sacras?

74. *Nota.* Quanquam heterodoxorum plerique, teste CANO L. 3. de Loc. Theol. c. 1., non sint adeo stupidæ, ut verba Christi et Apostolorum, quemodo eorum esse constat, infirmare, atque sic questionem Juris negare pergent: in quæstione tamen facti contra Catholicorum argumenta tanto obstinatus suos errores propugnant, quo minus nosse nos putant quid Christus quidve Apostoli fuerint locuti, et quo magis ex hac ignorantia usum Traditionis ac vim argumentationis nostræ inde depropria vacillare contendunt. Utrique exceptioni opponimus regulas, quarum priores ostendant certas notas, quibus divine ab humanis et Apostolicæ ab Ecclesiasticis Traditiones dignoscantur; posteriores autem doceant methodum legitimam, qua argumentatio ex Traditione desumpta energiam habeat.

75. *Dico I.* Regula generalis dignoscendi an sit genuina, et qualis, Traditionis sacra, stat in judicio Ecclesiæ. *Ratio patet tum ex dictis* (num. 73) quia Traditiones a Christo et Apostolis apud Ecclesiam sunt depositæ, et fideliter ab eadem custodiuntur: ergo si de aliqua Traditione oritur quæstio, sicut ad Ecclesiam spectat de illa testimonium dare et sententiam, sic ejus enuntiatio indubia est, certoque veritatem determinat: *tum ex dicendis* de Ecclesia tanquam judice controversiarum; quia vi hujus characteris, sicut Ecclesia rite judicare potest de authentia sensuque Scripturæ, sic de Traditionis sacrae veritate et qualitate judicandi auctoritate pollere debet.

Conf. Facultas indubie judicandi de authentia et proprio charactere TRADITIONIS, 1. necessaria est Ecclesiæ, cum dari veras traditiones probatum sit, et spuriæ a fraude aut simplicitate tam hæreticorum quam fidelium profectas plures constet experientia, adeoque vis utrasque discernendi necessaria appareat: 2. hæc facultas reipsa data est Ecclesiæ, ut satis ostendunt tum suavis Dei providentia, quæ non deficit in necessariis, tum promissa Spiritus sancti assistentia usque ad Seculi consummationem: 3. eadem jam sepius usurpata est ab Ecclesia, quemadmodum id enuntiant plura Concilia Generalia et Patrum testimonia de multis dogmatibus et institutis per Disputationem præsentem adducta: ergo.

76. *Dico II.* Regulæ speciales pro dignoscendis traditionibus stant in principiis certis, ex quibus origo Traditionis legitime deducitur.

Ejusmodi sunt pro asserenda Traditione divina.

I. Si traditio sit doctrina quam universa Ecclesia tenet tanquam dogma fidei; quia cum Ecclesia errare non possit in fide, quidquid tanquam fide

credendum proponit vel amplectitur, id certissime a Deo revelatum est. Colligitur haec regula ex Iren. L. 3. adv. hær. c. 2. Tertull. L. de Praescript. c. 28. Cypr. L. 3. ep. 13. Hier. ep. 73. adv. Vigilant. et Aug. L. 2. de Bapt. c. 2. Exempla habentur in dogmatibus de perpetua Deiparæ virginitate, valore baptismi infantium vel ab hæreticis collati, et aliis pluribus.

II. Si sit praxis, quæ a nulla potestate humana, sed a solo Deo constitui potest, servaturque ab Ecclesia universa; quia tam parum Ecclesia potest errare circa Dei instituta, quam circa ipsam fidem, et quod humanam instituendi potestatem superat, a Deo originem habere debet. Colligitur ex Aug. L. 10. de Genes. ad lit. c. 23. et L. 2. de baptism. c. 7. Exempla habentur in materiis et formis Sacramentorum, Confessione Sacramentali præmittenda sumptioni Eucharistiæ, et similibus.

III. Si sit doctrina vel praxis, quam simili modo tenuit et servavit universa Ecclesia quovis seculo; quia sicut tota præsentis seculi Ecclesia admittere nequit tanquam divinum, quod humanum est; ita nec precedentium seculorum Ecclesia id potuit, cum una et eadem sit Christi sponsa, licet diversis atque distincta. Colligitur ex testimoniis et exemplis ad regulam primam allatis, et amplius ex Iren. L. 3. c. 2. et 3. ac Vincent. Lirinensis Commonit. c. 2. declaratur.

IV. Si sit ejusmodi, quod omnes vel saltem plerique Patres vel Ecclesiæ Doctores ac Pastores, sive in Concilio OEcumenico congregati sive seorsim scribentes, ceteris scientibus et non contradicentibus doceant ex divina traditione provenire, aut doctrinam contrariam tanquam hæreticam rejiciant, aut præxim tanquam medium ad salutem necessarium exigant; quia Patres et Pastores omnes Ecclesiam docentem constituent, quam oves et Ecclesia discens sequi tenentur, adeoque illi errare non possunt, sicut Ecclesia nequit errare; ac præterea dum adhæremus Ecclesiasticis Doctoribus et sejungimur ab hæreticis, spiritum veritatis sequimur, et pseudoprophetas hominesque mendaces rejicimus. Colligitur ex Hier. ep. ad Pammach. Leon. ep. 13. ad Augustam et Patribus Conc. 7. act. 6. ubi et exemplum de cultu imaginum habetur, sicut et alia ex Tridentino num 69. §. 5. attulimus.

V. Si sit traditio, quam tanquam divinam custodiunt et tenent Ecclesiæ etiam particulares, in quibus perseverat haud interrupta Episcoporum ab Apostolis, a quibus fundatae fuerunt, successio, qualis jam una est Ecclesia Romana; quia apud eas depositas traditiones divinas supra ostensum est. Colligitur ex Iren. L. 3. c. 3. Tertul. L. de Praescr. c. 21. Theodosio apud Soer. L. 5. c. 10. et Soz. L. 7. c. 12. Exempla prostant in libris Deuterocanonicis, baptismo Hæreticorum, admissione justorum ad gloriam etc.

Regulae pro asserenda Traditione Apostolica sunt.

I. Si quod Ecclesiastica quidem potestate institui poterat, non tamen ostenditur aut a Pontifice institutum, nihilominus in Ecclesia universa et omnibus retro temporibus servatum est; quia vetusta consuetudo, cuius initium non invenitur, sicut ad Apostolorum tempora referri debet, sic et eorum institutioni tribuendum est, cum pro divina non adsit necessitas, et cum mere Ecclesiastica non concilietur antiquitas et universalitas. Colligitur ex Aug. L. 3. de Baptism. c. 7. et L. 4. c. 24. et verificatur in jejunio quadragesimali, die Dominica Sabbato substituta etc.

II. Si Patres Apostolis proximi, jam suis temporibus usum antiquum et

communem rituum aut cæremoniarum similium referant, aut Apostolicam institutionem declarent; quia, præter modo dicta, id auctoritas horum viorum satis probat. Colligitur ex Tertul. L. de Coron. c. 3. et 4., Basil. L. de Sp. S. c. 27. et patet in exemplis num. 69. §. 6. conglobatis.

Regulae pro asserenda Traditione mere Ecclesiastica sunt. I. Si ipsa rei ratio tardiorum epocham exigat, qualis est in festis et vigiliis Sanctorum: II. Si institutionis origo designari possit: III. Si vigeat in aliqua tantum Ecclesia particulari: IV. Si a paucis, licet antiquis scriptoribus, commemoretur, sed contradicant alii numero et auctoritate pares aut præcipui: V. Si viri Ecclesiastici et Apostolica præsertim Ecclesia traditionem tanquam novellam repudient. Vide de his Vincent. Lirin. in Commonit. c. 20. 21. 22. et 28.

77. Dico III. Regulae pro usu theologicō Traditionum sacrarum sunt. I. Ut Traditione sacra in sua specie efficaciter probet, eam certam esse oportet; cum principium dubium non sit legitima argumentandi sedes. II. Traditione divina firmum et efficax præbet theologo argumentum tum ad fidei morumque dogmata, tum ad oppositos his contradictores redarguendos et convellendos; quia æqualem cum verbo Dei scripto ex dictis (num. 63.) auctoritatem tenet. III. Traditione Apostolica, imo mere Ecclesiastica universalis et perpetua dat idoneum firmumque argumentum ad varia Religionis capita tum stabilienda tum defendenda; quia auctoritas principii, consuetudinis vis, et usus Ecclesiae id juste desiderant. IV. Nec Traditione particularis, nec temporanea, licet Apostolica aut universalis, præbent legitimū argumentum, ad extendendam priorem ad Ecclesias alias particulares, aut posteriorem ad omnia tempora, etiam moderna; quia ultraque potest esse libera et mutationi obnoxia; ut patet in jejunio sabbatino, immersione baptismali, poenitentia publica aliisque supra recensitis.

78. Observa. Sicut aliquorum duntaxat Patrum assertum non facit traditionem aliquam, maxime particularem, certam, ut patet in exemplo S. CYPRIANI et FIRMILIANI ad anabaptismi traditionem in Asia et Africa provocantium; sic nec complurium etiam Patrum, aliquam traditionem olim negantium, eam spuriam reddit, ut in libris deuterocanonicis universim, et speciatim in epistola ad Hebreos exemplum est manifestum: fuit enim aliquando etiam de Divinis et Apostolicis Traditionibus inter ipsos orthodoxos Patres et Doctores litigatum, donec plenario orbis concilio, ut S. Aug. loquitur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur, ut eliquatissima perspectione res discussæ, crescente paulatim luce, omnino patescerent. Neutrū tamen vim hujusmodi traditionis, aut argumentum ex ea depromptum infringit, ubi postmodum Ecclesiæ judicio declaratum fuerit, traditionem adulterinam non esse, sed genuinam.